

*Nonne hæc oportuit pati Christum,
et intrare in gloriam suam?*

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam

24, 13-35

- ¹³ **E**cce duo ex discípuis Iesu ibant ipsa die [prima sábbati] in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Ierúsalem nómine Emmaus,
- ¹⁴ et ipsi loquebántur ad ívicem de his ómnibus, quæ accíderant.
- ¹⁵ Et factum est, dum fabularéntur et secum quærerent, et ipse Iesus appropínquans ibat cum illis;
- ¹⁶ óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent.
- ¹⁷ Et ait ad illos:
«Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ívicem ambulántes?».
Et stetérunt tristes.
- ¹⁸ Et respóndens unus, cui nomen Cléopas, dixit ei:
«Tu solus peregrínus es in Ierúsalem et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus?».
- ¹⁹ Quibus ille dixit: «Quæ?».
Et illi dixérunt ei:
«De Iesu Nazaréno, qui fuit vir prophéta, potens in ópere et sermóne coram Deo et omni pópulo,
- ²⁰ et quómo eum tradidérunt summi sacerdotés et príncipes nostri in damnatióne mortis, et crucifixérunt eum.
- ²¹ Nos autem sperabámus quia ipse esset redemptúrus Israel; at nunc super hæc ómnia tértia dies hódie quod hæc facta sunt.

- ²² Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos,
quæ ante lucem fuerunt ad monumentum
- ²³ et, non invento corpore eius,
venērunt dicentes se etiam
visionem angelorum vidisse,
qui dicunt eum vivere.
- ²⁴ Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum
et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt,
ipsum vero non viderunt».
- ²⁵ Et ipse dixit ad eos:
«O stulti et tardi corde ad credendum
in omnibus, quæ locuti sunt Prophætæ!
- ²⁶ Nonne hæc oportuit pati Christum
et intrare in gloriam suam?».
- ²⁷ Et incipiens a Mōyse et omnibus Prophætis
interpretabatur illis in omnibus Scripturis,
quæ de ipso erant.
- ²⁸ Et appropinquaverunt castello, quo ibant,
et ipse se finxit longius ire.
- ²⁹ Et coegerunt illum dicentes:
«Mane nobiscum,
quoniam advesperascit et inclinata est iam dies».
Et intravit, ut maneret cum illis.
- ³⁰ Et factum est, dum recumberet cum illis,
accepit panem et benedixit ac fregit et porrigebat illis.
- ³¹ Et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum;
et ipse evanuit ab eis.
- ³² Et dixerunt ad invicem:
«Nonne cor nostrum ardens erat in nobis,
dum loqueretur nobis in via
et aperiret nobis Scripturas?».
- ³³ Et surgentes eadem hora
regressi sunt in Ierusalem
et invenerunt congregatos Undecim
et eos, qui cum ipsis erant,

³⁴ dicentes:

«Surrexit Dóminus vere et apparuit Simóni».

³⁵ Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in via,
et quómodo cognoverunt eum in fractiône panis.

Verbum Dómini.